Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 305

Quelle:
Copyright:

16. *Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit* &c. Ad calcem litera grandi: *Explicit poſtilla ſuper epiſtolam ad hebrebos edita a fratre Nicholao de lyra de ordine fratrum minorum deo gratias. Sacre theologie venerabili doctore.*

finito libro ſit laus et gloria chriſto.

CCVI.

R. 1464 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 271. f. per duas columnas exaratus, minioque diſtinctus inſcribitur: *Incipit prologus fratris nycolai gorre Ordinis predicatorum ſuper epiſtolas pauli.* Initium ejusmodi: *Dedi te in lucem gentium — yſa. 49. Legimus Gen. 1. quod fecit deus duo luminaria magna* &c. Poſt Prologum prolixum: *Incipiunt poſtille Reuerendi magiſtri nycolai Gorre fratrum Ordinis predicatorum ſuper epiſtolas pauli apoſtoli.* Et quidem ſic: *Paulus ſeruus ihesu chriſti. In principio hujus operis ſicut et aliorum operum theoloyce quatuor ſpecialiter ſolent inquiri que precedenti prologo demonſtrata ſunt ſcilicet quis autor. Quia apoſtolus paulus. Que materia. Quia doctrina euangelica* &c. Singulare, ipſos Ordinis Praed. Bibliothecarios T. I. p. 440. et p. 353. haerere, utrum haec Expoſitio *Nicolao de Gorran*, an *Petro de Tarentaſia* tribuenda ſit, Editionibus pro illo, Codicibus vero *mſſ.* pro hoc militantibus. Nec noſtrum, tantas componere lites. Interim *Jacobus le Gall* ejusdem ord. Editioni, quam noviſſimam puto, a ſe *Lugduni* 1692. f. curatae fidenter *Gorrani* nomen praefixit. Non memorant hanc Editionem praefati Bibliothecarii. In praeſenti Codice tantum exponuntur *Epiſtola ad Rom.* utraque *ad Corinth.* et *ad Galat.* ferunturque plura ejusmodi Exemplarium, in quibus aliquarum tantum habetur Expoſitio. Autorem a. 1295. vix ſuperſtitem, quem ſaepe dicti Bibliothecarii *de Gorran* vel *Gerrain* dictum, et *Gallum* volunt, *Tannerus* diu poſt illos in *Bibl. Brit. Hibern. Lond.* 1748. p. 333. cum aliis Popularibus ſuis oriundum de *Gorham* in agro *Hertfordenſi Angliae* facit.

CCVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 188 Folior. 260. 4. currente calamo perſcriptus et olim legatus *pro libraria Collegij Theologorum et Artiſtarum in Wienna* a *M. Petro de Pulka* continet ejusdem *Commentaria ſcholaſtica in Pauli Epiſtolam ad Romanos* praevia Introductione, quae incipit: *Lecturus Epiſtolas doctoris gencium egregij beatiſſimi pauli quaſi cecutiens et ſompniando aſpiciens preclariſſimum lumen diuine ſapiencie in eis tradite pro eius aliquali recommendacione exordior per verba ſompnij Mardochei dicens: Fons parvus creuit in fluuium maximum et in*